

CONCLUSIONES INAUGURALES

256.

De

RESERVATIS
CÆSAREIS:

Quas

PRÆSIDE

SUMMO DEO,

DECRETO

NOBILISSIMÆ ET AMPLISSIMI ICTORVM
*Ordinis in florentissima Argentoratensium
Academia,*

Pro summis in utroq; iure honoribus & privilegiis
Doctoralibus consequendis:

Publicè defendet

ANTONIUS SCHÖFFERUS
Mœno-Francofurtanus.

In Auditorio Majori Mense Decembri.



ARGENTORATI.

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.

ANNO M. DC. XXIII.

1623, 9.

CONCLUSIONES IN AULICIS

RESERVATIS

CASSAREIS

PARISIIS

SUMMO DEO

DECRETO

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VICTORII

Ordinis, Reverendissimi Arciepiscopi

et Archiepiscopi

Pro luminis in utroque, sic honoribus & privilegiis

Doctores illius considerandis

Facultatis

ANTONII SCHÖFFERUS

Memo Parisiensi

In Aulico Consilio



ARCENTORATI

Excubabat PAVLO DEGERE

ANNO MDCXXIII



CONCLUSIONES

De

RESERVATIS
CÆSAREIS.

Conclusio. I.



Quamvis non desint, qui Majestatem Imperatoris & Imperii Romano-Germanici, rationibus plausibilibus, & in superficie multum apparentibus, perstringere ac lacerare conantur: Imperatorem tamen Romanorum, amplitudine, dignitate & præ eminentiâ omnes alios Reges & Principes anteire, eiq; soli propriè Majestatem attribuendam esse statuo.

II.

Hinc etiam fieri puto, quòd in Imperii Conventibus, nulli Regi Majestatis sed saltem regie dignitatis titulus attribuitur. R. A. zu Eßlingen / de Anno 1526. §. Vnd seind diß die Churfürsten. ibi, Die Königlische Würde zu Böhem. R. A. zu Regenspurg / de Anno 1527. §. Vnd als die Wolgeborne. ibi, Von wegen Königlischer Würde zu Böhem vnd Hungern. item d. Recessu. §. Vnd als auff gehaltenem Tag / ibi, Königlicher Würde von Engellandt. Sic Ferdinandus Romanorum Rex Imperatori fratri Carolo V. Majestatem tribuit, sorori

A 2

verò

verò Mariæ, Regina Bohemiæ & Hungariæ non item.
R. A. zu Nürnberg / de Anno 1542 §. Darauff wir sampt
den Kayserschen. Quamobrem vox illa Majestatis in
Germania nullibi quàm in aula Imperatoris auditur.
Arum. de Iur. Pub. discurs. 7. pag. 74. in fin.

III.

Cum autem sub Majestate, ipsa iura Cæsari refer-
vata (de quibus impræsentiarum agere constitui) con-
tineantur. *Richard. Dieter. de summa summi Imperatoris
potest. conclus. 85.* & sibi aliquid singulatim reservare ne-
mo possit nisi Majestas. *Dn. Christoph. Besoldus, Vir cele-
berrimus, Patronus meus, lib. 1. Politic. cap. 4. §. 1. pag. 145.*
Ideoq; (ut omissis ambagibus rem aggrediar) sit Pri-
mum; SUPERIORITAS MAJESTATICA. Nulli
etenim Principi tantam deberi Majestatem, quantam
Imperator, *dicit Purpurat. (allegante eum Theod. Reink.)
in l. 1. num. 116. ff. de Offic. ejus cui mand. jurisdict. Bodin.
de Repub. lib. 1. cap. 10. pag. m. 152. & 155.* Et imperialis for-
tuna omnes alias supereminet. *l. cum multa. 7. in fin. Cod.
de Bon. qualib. & c.*

IV.

Secundum, SOLUTA LEGIBUS POTESTAS.
*l. Princeps 31. ff. de Legib. Nov. 105. cap. 2. in fin. l. digna vox.
4. Cod. de Legib. l. ex imperfecto. 23. ff. de Legat. 3. l. ex im-
perfecto. 3. Cod. de Testament. §. fin. & ibi Schneid. Instit.
Quib. mod. test. infirm.* Quod tamen non indifferenter,
sed cæteris paribus & cum mica salis, ut ajunt, intelli-
gendum. *Vid. Herman. Vult. ad §. sed & quod Principi. In-
stit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. n. s. & seqq.*

Tertium,

V.

Tertium, CONCESSIO ET CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM. Imperator enim solus adhuc hodiè dat & confirmat privilegia Regibus, Principibus, & aliis. *Aur. Bull. tit. 8. & II. l. 1. §. 2. l. 3. ff. de Constit. Princip. §. sed & quòd Principi. 6. Institut. de Iur. Nat. Gent. & Civil. l. 1. ff. de Censib. l. unic. Cod. de His qui à Princip. vacat. accep. Georg. Schönb. 5. Politic. cap. 16.*

VI.

Quartum, DISPENSATIO CONTRA JUS COMMUNE, ET CONFIRMATIO ACTUUM DE JURE CIVILI INVALIDORUM. Haec rei exemplum habemus in confraternitatibus & pactis successoriis illustrium personarum & familiarum. Nam quamvis jure communi de hereditate pacisci fas non sit. *l. pactum. 15. l. licet. 19. l. fin. Cod. de Pactis.* quia ejusmodi pacta sunt contra bonos mores, & adimunt liberam testandi facultatem. *d. l. pactum. Cod. de pact.* adeoque improbus esse censetur qui de viventis hereditate cogitat. *l. 2. §. interdum. ff. de vulg. & pupill. substitut.* Attamen propter publicam utilitatem & conservationem illustrium familiarum, imò etiam propter privatorum commodum, ne scilicet alienis ac peregrinis Dominis subijciantur, hujusmodi pacta Imperator tuetur & confirmat: ut videre est ex formula confirmationis in pacto confraternitatis Illustriss. Sax. DD. & LL. Hass. *Theod. Reink. de Regim. sec. & Eccles. lib. 1. class. 3. cap. 12. num. 46.* Plura etiam horum pactorum exempla recenset *Johann. Caspar. Gütting. de Confraternitatib. thes. 3. Georg. Schönb. 2. Politic. cap. 13.* Et sic quoties publica utilitas ac necessi-

A 3 tas



tas flagitat, Imperator de plenitudine potestatis omnia jura, statuta, privilegia, pacta, & foedera quæ d. ctæ utilitati adversantur, tollit. R. A. zu Wormbs / de Anno 1527. sub tit. Ordnung des Landfriedens. §. Wir sehen auch hincdan alle vnd jegliche Genad / Privilegien / Freyheit / Herkommen / Bündnuß vnd Pflicht / auß Römischer Keyserl. Macht vnd Vollkommenheit. R. A. zu Augspurg / de Anno 1530. §. Vnd nach dem wir in vnserm / ibi, Vnd ob einige obangezeigte Oberkeit / Statt oder Flecken / Freyheiten oder Privilegien / diesem zuwider vnd entgegen hetten / dieselben wollen wir derogirt vnd solches alles in diesem Fall hiemie auffgehelt haben. & §. vnd meinen / sehen vnd wollen / ibi, vnangesehen aller anderer Abschied.

VII.

Quintum, CONCESSIO VENIÆ ÆTATIS. *l. 1. & tot. tit. Cod. de His qui ven. atat. impet. quod adhuc hodiè in viridi observantia usurpatur; sicuti Carolum Lotharingiæ Ducem postulatam Episcopum Merensem, indultum veniæ ætatis ad consequendam investituram & administrationem Episcopatus, superioribus annis in aula Imperatoris Pragæ impetrâsse constat. Thom. Michaël. de jurisdict. conclus. 32. lit. c. Reink. de Regim. sec. & Eccles. lib. 1. class. 3. cap. 12. num. 51. Et Rex Daniæ, Anno 1593. die 26. April. à Rudolpho II. Schönb. 5. politic. cap. 18.*

VIII.

Sextum, PROMULGATIO ET INTERPRETATIO LEGIS GENERALIS QUÆ OMNES TENENTUR. *l. tanta. 2. § sed quia. 18. Cod. de Vet. Iur. annul. l. fin. Cod. de LL. l. si quando. Cod. de inoff. testament. l. &*

l. & ideo. 11. ff. de LL. l. 1. l. leges. 9. & seqq. Cod. eo. Sed hæc potestas hodiè aliquo modo centro & spacio circumscripta est, nam hoc tempore in universo Imperio Romano - Germanico universalem legem condit Imperator cum assensu & consilio Statuum Imperij. Hinc est, quòd leges in Comitibus imperialibus conditæ, appellantur Recessus Imperii, sive Comitiorum, **Deß Reichs Abschiede.** *Amplissimus & Consultissimus Vir, Dn. D. Ioach. Clutenius, Præceptor & Patronus meus honorandus, in syllog. rer. quotid. conclus. 21.* Nec tamen evertit Majestatem Imperatoriam, quòd cum consensu Statuum Imperii legem condere Imperator dicatur, ex illa clausula quæ plerumque Recessibus Imperii solet inseri: **So haben wir uns demnach mit den Ständen deß Reichs/und sie hincwiderumb mit uns verglichen.** Nam spectatur id quod principalius est, & quoniam Imperator principales portioresque in hac legislatione partes obtinet, ideo eam huic soli adscribimus. *Georg. Schönb. s. polit. cap. 11.*

IX.

Septimum, **BELLI INDICTIO.** *arg. l. hostes. 24. ff. de Captiv. & postlim. revers. & c. l. hostes. 118. de V. S. c. quid culpatur. 4. vers. Ordo tamen. caus. 23. quest. 1. l. 17. Cod. de re milit. l. unic. Cod. Ut armor. usus. Ordin. Cam. part. 2. titul. 15. ibi,* Auß der Keyserlichen Manifest oder vnserm zugeben. **R. A. zu Augspurg / de Anno 1555. §. Wo sich aber.** Hinc in crimen læsæ Majestatis incidit qui bellum in Imperio sine licentia Cæsaris movet. *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest. Henric. Bocer. class. 4. disp. 11. th. 22.* Hodiè tamen ex novis Imperii Constitutionibus non indicitur bellum nisi Cæsaris & Electorum suffragio. *Schönb. s. politic. c. 12.*
Vel

Vel ut vult Capitulatio Caroli V. omnium Ordinum
consensu. *Sleid. lib. I. pag. m. 27.*

X.

OCTAVUM, INDICTIO COLLECTÆ GENERALIS. Collectas generales sive imperiales Reichssteuer/
oder des heyligen Reichs Anlagen/ vi supremæ juris dictio-
nis solus Imperator, cum consilio tamen Statuum, im-
ponit: idque ob necessitatem publicam. Vi si vel neces-
sitas urgeat resistendi Christiani nominis hosti. R. A. zu
Regenspurg/ de Anno 1613. §. Vnd damit dem Erbfeind.
& §. seq. R. A. zu Augspurg/ Anno 1559. §. Derowegen
wir gemeine des heyligen Reichs Stände. R. A. zu Regen-
spurg/ de Anno 1567. §. Vnd dann hiebeneben. vel Ca-
merale Iudicium reformatione indigeat. R. A. zu Aug-
spurg/ de Anno 1548. §. Vnd wiewol Churfürsten/ cum
§. seq. Et passim in multis aliis Recessibus. Vel Impera-
tor expeditionem Romanam suscipiat. R. A. zu Wormbs
sub tit. Römischer Königlich Majestet Regiment. de An-
no 1521. in pr. ibi, Vnd sonderlich wie das wider in auff-
nehmen vnd gedeyen kommen/ vnd daß so dem Reich entzo-
gen/ mit der zeit desto statlicher widerumb darzu gebracht
werden misge.

XI.

NONUM, ERECTIO NOVORUM VECTI-
GALIIUM. *l. vectigalia. 10. ff. de public. & vectig. l. unic.*
§. item. ff. ad L. lul. ambit. tot. tit Cod. vectig. nov. instit. non
poss. R. A. zu Regenspurg/ de Anno 1576. §. Weiters
seind wir auch. & §. seq. dardurch dann niche allein / ibi,
sondern will auch daß alles zu vnser Keyserlichen besondern
Hoheit vnd Reservaten &c. R. A. zu Augspurg/ de Anno

1530.

1530. §. Wiewol auch der Abschied des gehaltenen Reichstags/ibi, dergleichen trägt sich zum offermahl zu/das leichtfertige vñ muhtwillige Personen die Zölle/damit die Obrigkeit besonders begnadet vñ privilegirt/ fürseßlich verfahren. Vt autem nova Vectigalia instituere nō licet: ita ne augeri quidē sine permissione Cæsaris antiqua possunt. Den Zoll steigern gehört zu Keyserlicher sonderer Hoheit vñnd Reservat. d. Recess. zu Regenspurg/ de Anno 1576. §. weiter seind wir auch glaubhafftig berichte. & §. derhalben/damit in diesem/ ibi, ob/wo/ vñd welcher massen vñgebürliche neue Zölle/ oder der alten Zölle erstigerung/in den Kreisen zu Wasser oder zu Lande / von einem oder mehr Ständen/ vñder was schein dasselbige auch bedeckt werden wolte / fürgenommen sein solten. Omnis enim innovatio pro novo vectigali reputatur. Henric. Klock. de iur. Vectigal. concl. 8. lit. c. Nec infringit hoc, quod augmentum censetur sequi naturam sui principalis cui accedit, & ejusdem cum eo juris esse dicatur. l. si ex toto. 8. in princ. & l. quod in rerum. 24. §. si quis. 2. ff. de legat. 1. Nam quando diversa est ratio in augmento, augmentum non sequitur naturam sui principalis. l. qui fundum. 7. §. 1. ff. pro Emptore. Iam verò longè est alia ratio in veteribus vectigalibus, ut quæ iam antea ex necessaria causa instituta, & ideo favore suffulta sunt, alia verò in augmento eorum, ut re nova & omninò odiosa: quæ extendenda non sunt. c. odia. de R. 1. in 6. Hodiè vigore contractus præter Imperatoris auctoritatem, Electorum quoque consensum ad nova in Imperio constituenda vectigalia requiri, docet Capitulatio Caroli V. apud Sleid. lib. 1. pag. m. 27. Hinc tamen non sequitur Imperium Romano-Germanicum esse purè aristocraticum, quod Ioannes Bodinus lib. 2. de

B

Repub.

Repub. c. 6 pag. m. 227. & seqq. & passim contendit. Nam u-
niversa Germanorum Respublica componitur ex capite
& membris, ait Iacob. August. Thuan. lib. 2. in pr. hist. sui
temp. Caput autem eius est Imperator. Daß Oberhaupt
im heyligen Reich. R. A. zu Augspurg / de Anno 1566. §.
demnach im 64. Jahr. &c. de quo vid. Ampliss. Dn. D. Clu-
ten. in syllog. rer. quotid. conclus. 16. Et Theod. Reink. de
Regim. sec. & Eccles. lib. 1. class. 2. c. 2.

XII.

Decimum, REVOCATIO RERUM ALIENA-
TARUM IMPERII. Nam si quid in detrimentum to-
tius Imperii alienatum; hoc nullo tempore ratum, nec
irrevocabile censendum esse, juris dictat ratio. *Thom. Mi-*
chaël de jurisd. concl. 16. Quod tamen de iis præcipuè in-
tellectum velim, quæ ab Exteris jam possidentur, & de fa-
cto ab Imperii jurisdictione totaliter tam quo ad onerū
contributionem & præstationem, quam superioritatis
recognitionem exemptæ & radicitus evulsæ sunt. Quarū
multas recenset *Zach. Viet. de caus. exempt. Imperij. concl. 2.*
Tanta enim olim Romani Imperii fuit amplitudo, ut illi-
us nec fama terminum, nec gaza modum invenirent ho-
diè angustis inclusa est limitibus, plurimæq; pennæ isti
Aquilæ sunt evulsæ. ait *Georg. Schönb. s. Polit. cap. 7.* Ego ut
ex multis unicum tantum exemplum proferā, de Italia,
provinciarum Orbis primaria, quæro, Annè subsit Im-
perio Romano? certè debet. Adest testis planè non re-
movendus omniq; exceptione maior Maximilianus II.
Imperator: hic namq; cum Pius V. Cosmum Florentiæ &
Senarum Ducem, Regem creare vellet sese opposuit, di-
cens: Non habet Italia Regem nisi ipsum Cæsarē. *Bodin.*
lib. 1. de Repub. c. 9. pag. m. 148. Sleid. continuat. Argent. part. 2
pag.

267.

pag. 181. *Thuan. lib. 46. pag. m. 873.* Obiter hinc addo; etiā ante Pium V. Cosmo Mediceo ampliorē dignitatis gradum Paulū IV. & Pium IV. pollicitos fuisse: quod tamen, veriti quorundā Principū offensionem, non præstiterunt. Et ideo ne postea quidem, ad evitandam invidiā, licet regiā coronā in aula Regū coronatus Romæ, Rex sed tantum Magnus. Dux appellatus est. *Natal. Com. in hist. sui temp. pag. 454. 455. & 551.* Equis igitur de Imperii in Italiam iure dubitaret? Sanè magnus ille Imperator Carolus V. Romā & Pontifice Clemente VII. captis, non jure cogente, sed solā misericordiā & innatā bonitate ductus illam Pontifici reddidit. *Vid. Sleid. lib. 6. pag. m. 145. & Continuat. Argent. part. 1. pag. 135. Meteran in hist. Belgic. part. 1. pag. m. 53. & 514. Thuan. lib. 1. pag. 10. & 13. Hippolyti à Collib. Principem cap. 20. pag. 83.* Nec obstat famosissima illa Constantini donatio. de qua vide *Amplissimi & Consultissimi Viri, Dn. D. Bitschij, fautoris ac Præceptoris mei venerandi, Disputationem in Iubileo Lutherano propositam & defensam.* Nec Imperatori quidquam de Imperio alienandi jus est. Id quod dictus gloriosissimus Imperator Carolus candidè respondit Paulo III. Pontifici de Parma & Placētia, eas civitates si ad Imperiū pertinerent, non posse se in ditionis ac dignitatis imperialis præjudiciū alienare. *Thuan. lib. 4. pag. m. 82.* Ideoq; rectissimè ab eodē Cæsare deliberata & desiderata rerū Imperii alienatarū recuperatio fuit in Comitibus Wormatiensibus, de Anno 1521. §. Und als wir in vnser Keyserlich gemüht gesezt vnd fürgenom̃en haben/ mit hülff des Allmächtigen/ Gott zu forderst zu lob/ dē heyligen Reich zu Ehrn vnd Wolsahrt/ vnser Keyserliche Kron/wie sich gebürt zu holē vñ zuerlangē/auch dz jenige so dē Reich entzogē/vñ langezeit in frēbdē händē gewesen/ wideruñ zuerobern vñ

Reich zubringen. Ad quod invictissimi Imperatoris au-
gustissimum & laudatissimum propositum feliciter per-
ficiendum, Proceres & Status Imperii promptissimum
auxilium in iisdem Comitibus promiserunt. d. Recess.
§ Auch haben vns Churfürsten / Fürsten vnd Stände des
heiligen Reichs / zu solchem vnserm ehrlichen fürnehmen
auff vnser genädiges gesinnen vnd begehren / ein dapffere
grosse hülff / nemlich 4000. zu Ross / vnd 20000. zu Fuß /
so fern Fried vnd Recht im Reich sein vnd gehalten werde /
vngesfärdt bewilligt vnd zugesagt. Adde R. A. zu Aug-
spurg / de Anno 1566. §. Nach obgesetzten Articuln. & R.
A. zu Regenspurg / de Anno 1576. §. Wir haben auch zum
sechsten Articul &c.

XIII.

Vndecimum, POTESTAS PRIMARIARUM
PRÆCUM. Solus Imperator ex antiqua consuetudi-
ne in omnibus cathedralibus Ecclesiis & Monasteriis per
Germaniam, habet suffragium & facultatem unum Ca-
nonicum pro arbitrio nominandi, quem Collegium
post huius vel illius mortem recipere debeat, quæ prima-
riæ preces vocantur. *Thom. Michaël. de jurisdict. conclus.*
1. lit. A. Georg. Christoph. Meyfisch de potest. & jurisdict.
Imperat. thes. 12. lit. A. Gail. 2. observat. 155. circ. fin. An
autem Imperator hoc ius habeat vigore Cæsareæ Maje-
statis, an verò concessione & indulto Papæ. *vid. Dn. D.*
Cluten. in syllog. conclus. 19. lit. B.

XIV.

Duodecimum, CREATIO REGUM, ELE-
CTORUM, ARCHIDUCUM, DUCUM, PRIN-
CIPUM, MARCHIONUM, LANDGRAVIO-
RUM,

202

RUM, PFALTZGRAVIORUM, BURGGRAVI-
ORUM, COMITUM, BARONUM, EQUITUM,
COMITUM PALATINORUM &c. Sic Poloniæ
Principem Boleslaum, salutavit Regem Otto III. Impe-
rator. Eodem tempore Cæsareâ potestate præviâ, Vnga-
ria Regni titulum usurpavit; quem post Ottonem con-
firmavit Henricus II. Imperator, vel, ut eum vocat Peu-
cerus Henricus sanctus. *d. Auth. lib. 4. Chron. pag. m. 519.*
Petrus Daniæ Dux regia stemmata a Friderico I. *Bodin.*
lib. 1. de Repub. cap. 9. pag. m. 117. & Vratislaus Dux Bohæ-
miæ ab Henrico V. accepit. *Georg. Schönb. 5. politic. cap. 15.*
Illustre quoque & adhuc recentius exemplum habemus
in Carolo Pugnace seu bellicoso, ultimo Burgundiæ
Duce: hic etenim à Friderico III. Imperatore Augustæ
Trevirorum enixè petiit; Maximiliano filio illius, filiam
suam & hæredem unicam despondendo; ut se Burgun-
diæ Regem & Imperii Legatum ac Vicarium crearet: ni-
hilque minus quam repulsam veritus Carolus, sceptrum
& coronam ac cætera dignitatis regię insignia fieri, sub-
sellia in templo, & solium, quæque ad coronandi & in-
ungendi ritum faciunt, parari iussit. *Vir Amplissimus*
Dn. D. Bitschius in Annotat. ad Natal. Comit. histor. pag.
376. lit. H.

De Electoribus textus est in *A. B. capit. 7. De suc-
cessionem Principum Electorum.* ibi, Si verò aliquem ex
huiusmodi Principatibus eorum Imperio sacro vacare
contingeret, tunc Imperator seu Rex Romanorum qui
pro tempore fuerit, de ipso providere debebit & poterit,
tanquam de re ad se & Imperium legitimè devoluta. *Ca-
spar. Peucer. 5. Chronic. pag. m. 832.*

Archiducalis dignitatis origo refertur ad Rudol-

B 3

phum

phum I. Habsburgensem : is cum Austria legitimo hære-
de destitueretur & Imperio aperiretur, eam filio Alberto
sub titulo Archiducatus contulit. *Theod. Reink. lib. 1. de Re-
gim. sec. & Eccles. class. 4. cap. 10. n. 4.* Quod tamen apud Hi-
stóricos controversiâ non caret. Cuspinianus enim *in vi-
ta Friderici II. Caesaris, & in Austria pag. 32.* jam olim,
priusquàm ad familiam Habsburgicam perveniret, Ar-
chiducali dignitate præfuisse, scribit : beneficio Impe-
ratoris Friderici II. cum is Fridericum II. Austriacum
bello devictum, in gratiam intimamq; amicitiam rece-
pisset; ejusq; insignibus crucem auream, qualem Cæsares
in suis coronis gestant, adjecisset. Quod factum Anno 1245.
Imò Regem eum fuisse creatum à dicto Friderico II. do-
cet ex *Munsteri lib. 3. Geograph. Arniseus de Iur. Majest. lib. 1.
cap. 5. in fin.* Qua tamen regia dignitate, citatus aliquoties
ad Comitatus neq; comparens, anno sequenti iterum spo-
liatus est. *ibid.*

Natalis Comes *in hist. sui temp. lib. 9. pag. 199.* Frideri-
cum III. Imperatorem, hujus tituli primum Collatorem
ait. Non sine ratione. Imperator namq; Fridericus, Au-
striæ Ducis, Maximilianus verò filius, Archiducis titulū
usurpavit. *Reformation Keyser Friderichs des dritten / zu
Frankfurt am Main / Anno 1442. auffgericht. in princ. &
Ordnung der Römischen Königlich Majestet Camerge-
richts zu Wormbs / Anno 1495. auffgericht.* Hoc certè cō-
stat, Archiducis (non quidē Austriæ sed Lotharingiæ)
titulū primū sibi arrogasse Brunonē Othonis Magni Im-
peratoris fratrem, Archiepiscopū Moguntinū : cum Anno
953. dejecto propter rebellionē Duce Conrado, Lotharin-
giæ Ducatū à fratre Imperatore accepisset : indignū exi-
stimans, si cū Archiepiscopus esset, nō etiā Archidux ap-
pellaretur. *Ampliss. & Consultiss. Vir Dr. D. Bitschius, Patro-*

nus

nus meus honorādus, in Annot. ad Nat. Com. pag. 200. lit. ij. &
 quos citat, *Paulus Aemilius Veronēsis lib. 3. de Reb. gest. Fran-*
corū, Spangenb. in spec. Nobil. part. 1. lib. 10. c. 12 Martin. Cruf.
part. 1. Annalium Suevicorum lib. 10. cap. 4. Hodie hoc di-
 gnitatis nomē tantum in Germania, & à sola serenissima
 Austriaca familia usurpatur.

Ducatus dignitate donavit Marchionatū Austriæ Fri-
 dericus I. Imperator. *Peucer. lib. 4. Chron. pag. m. 545. & 618.*
 Idē Fridericus postquā Henricū Leonē omni principatu
 exutum pepulisset in exiliū, Bavariam Ottoni Wittelsba-
 chio: Saxonix partē cum Ducis titulo, Bernhardo Anhal-
 dino Alberti Vrsi filio; utrique propter egregiē in bello
 Italico navatam operam attribuit. *d. Peucer. lib. 4. Chron.*
pag. 624. Arnisa. de Repub. lib. 2 c. 2. pag. 141. 143. Sic ex ordi-
 ne Comitum in sublimiorem Ducum Imperij sedem, Si-
 gismundus Imperator collocavit Adolphum II. Cliviæ &
 Amadæum Sabaudix Comites. *Id. Peuc. lib. 5. Chron. p. 831.*

Principem Romani Imperij ex proprio Maiestatis jure
 creavit Rudolphus II. Sigismundum Bathoreum. Anno
 1595. *Schönb. 5. Polit. cap. 15. Sleid. continuat. Argent. part. 3.*
pag. 656.

Sigismundus Imperator Comites à Zollern/ Marchio-
 nes Brandenburgenses, add. tā septemvirali dignitate, cō-
 stituit. *Richard. Dieter. de Summ. Summi Imperat. potest.*
concl. 121. Peucer. lib. 5. Chronic. pag. m. 132.

Landgraviorum & Pfaltzgraviorum dignitas, quin
 ab Imperatore quoque tanquam fonte omnis dignitatis
 ac nobilitatis, profluat; nullum dubium est. Hi nam-
 que olim ab Imperatore Palatii Cæsarei Iudices sive
 Præfecti, *Richter des Keyserlichen oder Königlichen*
Hofse/ constituti erant. Illi, totius alicujus Provinciæ: die
 Da

da Richter gewesen seind eines Landes/ so zwischẽ des Reichs
Landt ligt. *Amplissimus Besoldus, fautor & Patronus meus,
de Comit. & Baron. dissertat. 8. & 9.*

Eadem est ratio Burggraviorum, qui Præfecti sive
Iudices erant certi alicujus præsidii atque arcis, *Einer
Bestung des Reichs.* Talis est Burggraviatus Norimber-
gensis, item Magdeburgensis. *Idem d. loc. dissert. II.*

De Comitibus, Baronibus, Equitibus, Comitibus
Palatinis. &c, alibi.

XV.

Decimum tertium, COLLATIO REGALIIUM.
*cap. I. in princ. de feud. March. Ducat. Comit. in Usib. feud.
facit. l. disputare. Cod. de Crim. sacrileg.* Imperator enim
noster quoad jurisdictionem, instar est maris: quod flu-
minū concursu nec augetur nec minuitur: è quo omnia
manant ac fluunt regalia, jurisdictio, iura per concessio-
nes, investituras, confirmationes & commissiones, &
ad quem quoque per appellationes, nullitates, querelas,
& in summa per quamvis recognitionem refluunt. *Chri-
stoph. Mingius de Superioritat. territor. & ejusd. jur. ad-
fin. cap. 2. in princ.* Et sic solus Imperator maiora regalia
concedit, nisi hoc specialiter alius permiserit, ex inevita-
bili quadam causa. *R. A. zu Wormbs / de Anno 1521.
§. Und behalten uns bevor. cum duob. seqq. A. B. tit. 5.*
Nec tamen propter magnificas hæc ac splendidas con-
cessionem, Principes & Status Imperii Imperatori se pu-
tant pares: sed superioritas eius Maiestatica semper sal-
va manet atque illæsa. Imò tantum abest, ut per hanc
munificam & prolixam Imperatoris concessionem, Ma-
iestas eius & suprema potestas imminuatur: ut etiam
magis honorabilis, magisque timenda efficiatur. Quan-
tò

264.
tò enim quis præest majoribus & dignioribus, tantò & ipse major habetur ac dignior. *Novell. 15. in fin. princ.* Vnde Carolum V. Imperatorem gloriatum ferunt, se in Germania Regibus, in aliis verò Regnis, Mancipiis & Servis Imperare. In summa: Quemadmodum Sol radios suos longè latèque spargit & emittit, & tamen nihil lucis amittit; ita Imperatoria Maestias radios dignitatis suæ variè spargit, & lucere & splendere ipsa tamen non desinit. Vti eleganti hoc simili, quamvis ad aliam rem, utitur Iustus Lipsius.

XVI.

Decimum quartum, DE GRADATIO SIVE ADEPTIO REGALIIUM ET FEUDORUM. Sive id privativâ contra Ecclesiasticos. *Gail. lib. 2. de PP. cap. 4. num. 21. & 1. observat. 3. num. 4.* Sive banni declaratoriâ contra Seculares fiat. *Idem d. lib. 1. observat. 3. num. 4.* Cujusmodi contra depopulatores urbis Herbipolensis seu Würceburgensis eorumque receptatores à Ferdinando I. promulgata, & à Maximiliano II. Anno 66. renovata R. A. zu Augspurg/ dict. Anno 66. §. Demnach haben wir. Quod tamen cum Consilio Statuum fieri debet. Quia Iovem, id est, Regem, prodesse quidem solum, oportet; nocere non, nisi cum pluribus visum est. *Seneca Nat. quæst. lib. 2. cap. 43. pag. m. 702.* Nam in gravibus negotiis Consiliarios adhibere prudentis est. *l. humanum. Cod. de LL.* quodque horum consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem Imperii & Imperatorum gloriam redundare, ipsimet fatentur AA. Theod. & Valent. *in d. l. humanum.* Imò, sapientiæ argumentum in Principe nullum majus, quam sapientium virorum con-

C

filio

filio uti. *Hippolyti à Collib. Consiliarius in pr. pag. 165.* Id quod studiosè fecit Imperator Alexander, qui adeò amans fuit Domitij Vlpiani, ut eum propter præclara responsa & consilia data, amicum suum. *l. secundum. 4. Cod. de contrahend. stipulat.* imò parentem. *l. Ex divi. 4. Cod. de Locat. & Conduct.* appellare, nequaquam sit veritus. Et etiam si talis sit Princeps, tamq; prudens, & in consiliis expeditus, qualem optamus; audere tamen id non debet, ut sine Consiliariis Rempub. administret. Nemo enim tantâ est prudentiâ præditus, qui non majori indigeat: & sapientissimo cuique nonnunquam deest facilitum consilium. *Barthol. Kekermann. discurs. Politic. de Consiliario. in System. tom. 2. pag. 1291.*

XVII.

Decimum quintum, ERECTIO UNIVERSITATUM SIVE ACADEMIARUM. Sic Universitas Parisiensis à Carolo Magno constituta est. Anno 791. Bononiensis ab Imperatore Theodosio II. Anno 423. Pragensis à Carolo IV. Anno 1361. Heidelbergensis à Ruperto Ruffo Romanorum Rege. Anno 1387. *Daniel Otto de iur. Pub. imperij Romani. cap. 24. pag. 723. & seqq.* Non diffiteor equidem etiam Pontificem Romanum Academias aliquas erexisse & privilegiis donâsse, idque etiam in Germania nostra: fortè ut hac quoque in re Majestatem Imperatoris Romani æmuleretur. *c. duo sunt. distinct. 96.* De quarum iure, privilegiis, & immunitatibus ut nihil omninò detractum volo: ita multò magis eas quæ ab ipso Imperatore Romano, ut unico & indubitato S. R. I. Capite Augustissimo & omnis dignitatis fonte erectæ
con-

confirmatæve, five accedente five non accedente Pontificis confirmatione, sunt, Universitatis & Academiae titulo, iure & prærogativis, gaudere contendo. *Ordin. Cam. part. 1. tit. 3. §.* Desgleichen sollen die Beyseker, ibi, in Universiteten/ welche zum wenigsten von vnsern Vorfahren Römischen Keysern vnd Königen / der jetzigen Keyserlichen Majestet oder vns confirmirt. Et ideo fallax est opinio, & in multas Germaniæ Academiis iniuriola, Pontificis Parasitorum clamantium, pro Academiis non esse habendas nisi & Papali confirmatione sint munitæ. *iust. Sinolt. de Vicarijs Imper. horumq. potestat. conclus. 47. lit. f.* Quantum etiam ornamentum Academiae augmentumque Rebus publicis adferre soleant, docet Hippolyti à Collib. *Princeps cap. 30.* ubi inter alia hæc quoque verba leguntur: Possem op dula nonnulla in Germania & alibi nominare, quæ ante Academiis iis in locis constitutas, adeò obscura fuerunt, ut vel Gæographi ea noluerint exiguolo loco in tabulis honorare; jam verò opibus & dignitate cum præcipuis urbibus certant.

XVIII.

Decimum sextum, INSTITUTIO ET CONFIRMATIO CURSUUM PUBLICORUM SIVE POSTARUM. Hic tamen non intelligo illos cursus publicos de quibus loquitur titulus Codicis *de Cursu publico & angarijs & parangarijs*: quique five ad transvectionem armorum. *l. ultim. §. quotiens. Cod. de Fabricensib. l. nullus. 21. & l. cursum. 22. Cod. de Curs. publ.* five profectionem Legatorum. *d. l. Cursum.* five ob aliam utilitatem publicam. *leg. maximarum. 12. Codic. de Excusat. muner.* subditis imperantur,

C 2 &

& sub nomine angariarum continentur : sed equos publicos, per vias publicas dispositos, quos Postas vulgò vocant, qui non tantum summam utilitatem præbent iter facientibus, literasvè mittentibus, verum etiam ad securitatem Reipublicæ plurimùm faciunt, dum per id medium Princeps quid in quoque Principatus angulo geratur exploratum habeat. *Arnise. de Iur. Majest. lib. 3. cap. 5. pag. 547.* Qua de causa Indorum Philosophorum quidam Alexandrum admonebat, ut in medio Regni sedem sibi eligeret, quòd illic faciliùs & motus gliscentes compescere, & quid ubique geratur intelligere possit. *Idem d. loc. ex Plut. in Alex.* Et has Postas de Reservatis Imperatoriis esse, facit *N. A. zu Speyer / de Anno 1542. §.* Vnd damit man auch jederzeit. & Informatio Bohæmica à Divo Matthia promulgata, habet, Daß die Kaysersliche Hoffpost ihrer Majestet vnd des heyligen Römischen Reichs hohes Regal sey / vnd desselben getrewe Chur Fürsten / vnd hochwichtigste Sachen betreffe. *Reink. de Regim. sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 6. num. 114.* Hinc cuidam Germaniæ Principi generales Postas per Belgium & Italiam constituere annitenti, 1579. Cæsar pro hujus suæ Majestati reservati juris defensione severè interdixit. *Arnold. Clapmar. de Arcan. Rerumpub. lib. 1. cap. 21. circ. fin. Thom. Michaël. de jurisdict. conclus. 12. lit. B. Arnise. de Iur. Majest. lib. 3. cap. 5. pag. 549.* Et quamvis alii etiam Principes Postas & Cursores in suis ditionibus habeant, illi tamen respectu istorum privati censentur. *Reink. dict. loco.*

XIX.

Decimum septimum, TRIBUTIO JURIS CIVITATIS. *arg. l. unic. Cod. de Metropoli Beryto.* Vico enim

enim alicui spiritum & vitam dare, *Stattrecht* geben /
 ut loquuntur Icti, *Arnold. Clapmar. de Arcan. Rerumpub.*
d. lib. 1. cap. 21. in fin. solius Imperatoris est. Sicuti Co-
 mites Wertheimenses tertiâ vice huiusmodi privilegia
 sunt consecuti. *Author* Desß wohlgegründten Gegenber-
 richts/ auff den durch die Bischoffliche Würzburgische Râ-
 the wider die Herrn Graven zu Löwenstein vnd Wertheim
 aufgesprungen vermeinten Bericht &c. *cap. 13. circ. fin.*
 ibi, Solcher gestalt nun haben auch die Graven zu Wer-
 theim von Keyser Ludwigen im Jahr 1333. Vnd widerumb
 Anno 1376. Von Keyser Carln dem IV. vber Freuden-
 berg/ von Wenceslao, Anno 1379. vber Schwamberg
 vnd Lautenbach/ *Stattrecht* erlangt/ auch bey Freudenberg
 solcher Keyserlichen Concessionen sich gebraucht. &c.
 Hinc cum Albertus Comes Mansfeldensis, sine conces-
 sione Imperatoriâ, vico cuidam propè Islebiâ spiritum
 & vitam, ut vocant, concedere vellet, Imperator Maxi-
 milianus, Anno 1514. mandato inhibitorio id fieri no-
 luit: cui mandato hæc in specie fuere verba inserta.
 Wann nun dir/ noch jemandt anders/ nicht geziemet/ *Statz*
recht oder anders/ daß der hohen Obrigkeit anhängt / ohne
 sondere erlaubnuß auffzurichten / so empfehlen &c. *Thom.*
Michaël. de iurisdic. conclus. 12. lit. c.

XX.

Decimum octavum, CONCESSIO NUNDI-
 NARUM, EARUNDEMQVE ADEMPATIO SIVE
 TRANSLATIO. *l. 1. ff. de Nundin. l. unic. Cod. eo. Dn.*
D. Besoldus lib. 1. Politic. cap. 4. §. 9. pag. 183. dictus Autor
Desß wohlgegründten Gegenberichts &c. cap. 13. circ. fin.
 ibi, Ingleichen gehört vnder die Regalia/ vnd wem es von

dem Römischen Keyser ex speciali privilegio vergönnet
wird/ Jahrmärkte anzurichten. Allermassen dann / Wey-
landt Keyser Maximilianus der II. offermelten Herren
Graven Ludwigen von Stollberg vnd Königstein / mit
nichten aber dessen Bürzburgischen Lebens Successorn,
sondern (wie die formalia verba Cæsarei privilegii lauten)
seinen Nachkommen Graven zu Wertheim in Anno 1566.
allergenädigst vergünnet/ daß sie in der Statt Frewdenberg
Jährlichen drey Märkte halten/ vben vnd gebrauchen mös-
gen. Nunquam tamen Cæsar consuevit alicui dare nun-
dinarum privilegium, nisi prius adjacentibus & vicinis
civitatribus, quarum interesse possit, auditis. *Gail, 2. ob-*
servat. 69. num. 24. & 25. Georg. Schönb. 5. Politic. cap. 17.
Ius nundinarum Imperatorem quoq; auferre posse, in
principio hujus conclusionis innuimus: sic Carolus IV.
Francofurtensibus illud abstulit, & Moguntiam transtu-
lit: quod tamen mortuo Gunthero, intercessione Ru-
dolphi Palatini, & Marchionis Brandenburgensis, iis re-
stituit. *Peucer, lib. 5. Chron. pag. m. 805. Arnisa, lib. 2. de*
jur. Majest. c. 3. n. 18.

XXI.

Decimum nonum, INDICTIO FERIARUM
GENERALIUM. *l. à nullo. 4. & ibi gloss. Cod. de feriis.*
Est enim & hic quoq; actus, unus ex specialiter supremo
Principi reservatis: quatenus tamen ferias universales
publicas novas spectamus, quorsum etiam propriè con-
stitutio *d. l. 4.* referenda, quæ neutiquam indictionem
feriarum Principibus, Administratoribus sive Magistra-
tibus majoribus, sed tantum Iudicibus Pedaneis, inferi-
oribus & municipalibus adimit. Vt rectè Wessenbec. *in*
paratit.

paratit. ff. de ferijs. n. 4. observavit. Etenim omnes maiores Magistratus, ut leges & Statuta; ita quoq; ferias non prohibentur condere locales. d. VVesenbec. d. loc. in fin. Dn. D. Beuther. de fest. & fer. c. 4. th. 4. cum aliquot seqq. Ioan. Emeric. à Rosbach. in Praxi civili tit. 38. n. 7. Hoc etiam in confesso est, quemlibet Iudicem ferias a Principe vel Lege iam indictas & definitas, posse pro ratione & maturitate fructuum moderari, & aut citius aut tardius, pro ut usus fert, indicare. VVesenbec. d. loc. & Rosbach. d. t. num. 8. vid. Iacob. Ayrer. in Process. part. 1. cap. 5. observat. 6. per tot.


Et hæc de præcipuis iuribus Imperatori reservatis, dicta sufficiant: nec enim omnia enumerare, nedum fertilissimam hanc materiam plenè pertractare, instituti mei, & temporis locique ratio, permittit.

F I N I S.

Strassberg, Diss., 1623-26

X26 m020

Wm



non
ent
...tr
arb
ant
36.
non
cor
cla
, &
pae
os
erve
cent
te
...ar
ri.
ecit
aco
prin
inte
ural
prop



CONCLUSIONES INAUGURALES

De

RESERVATIS CÆSAREIS:

Quas

PRÆSIDE

SUMMO DEO,

DECRETO

*NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI ICTORVM
Ordinis in florentissima Argentoratensium
Academia,*

Pro summis in utroq; iure honoribus & privilegiis
Doctoralibus consequendis:

Publicè defendet

ANTONIUS SCHÖFFERUS
Mœno-Francofurtanus.

In Auditorio Majori Mense Decembri.



ARGENTORATI.

EXCUDERAT PAULUS LEDERTZ.

ANNO M. DC. XXIII.

256.

1623, 9.

